PSALMI ; & HYMNI

Qui dicuntur
In Proceſſionibus Synodalibus,

Iuxta Tabellam Precum Synodi Beneventanæ.

juxta Ritum [illegible] Beneventanae

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

HYMNI.

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Quæ tu creaſti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altiſſimi donum Dei,
Fons vivus, ignis Charitas,
Et ſpiritalis unctio.
Tu ſeptiformis munere,
Digitus Paternæ dexteræ,
Tu ritè promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma noſtri corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hoſtem repellas longius,
Pacemque donec protinus,
Ductore ſic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te ſciamus da Patrem,
Noſcamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui à mortuis,
Surrexit, ac Paraclito,
In ſeculorum ſecula. Amen.

AVe maris Stella,
Dei Mater alma,
Atque ſemper Virgo,
Felix Cœli porta.
Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis
Inter omnes mitis;
Nos culpis ſolutos,
Mites fac, & caſtos.

Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Vt videntes Ieſum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

Nos ſempiterni gaudii
Concedat eſſe compotes.
Patri, ſimulque Filio,
Tibique Sancte Spiritus,
Sicut fuit, ſit jugiter
Seculũ per omni gloria. Amẽ.

EXultet Orbis gaudiis,
Cœlum reſultet laudibus;
Apoſtolorum gloriam,
Tellus, & aſtra concinunt.
Vos ſeculorum Iudices,
Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium,
Audite voces ſupplicum.
Qui templa cœli clauditis,
Seraſque verbo ſolvitis,
Nos à reatu noxios,
Solvi jubete quæſumus.
Præcepta quorum protinus
Languor, ſaluſque ſentiunt,
Sanate mentes languidas,
Augete nos virtutibus.
Vt cum redibit Arbiter,
In fine Chriſtus ſeculi,

ÆTerna Chriſti munera,
Apoſtolorum gloriam,
Palmas, & Hymnos debitos,
Lætis canamus mentibus.
Eccleſiarum Principes,
Belli triumphales Duces,
Cœleſtis Aulæ Milites,
Et vera mundi Lumina.
Devota Sanctorum Fides,
Invicta Spes Credentium,
Perfecta Chriſti Charitas,
Mundi Tyrannum conterit.
In his paterna gloria,
In his triumphat Filius,
In his voluntas Spiritus,
Cœlum repletur gaudio.
Patri, ſimulque Filio,
Tibique Sancte Spiritus,
Sicut fuit, ſit jugiter,
Seculũ per omne gloria. Am.

P S A L M I.

Pſal. 32.

EXultate juſti in Domino: rectos decet collaudatio.

Confitemini Domino in cithara: in pſalterio decem cordarum pſallite illi.

Cantate ei canticũ novum: bene pſallite ei in vociferatione.

Quia rectum eſt verbum Domini: & omnia opera ejus in fide,

Diligit miſericordiam, & judicium: miſericordia Domini plena eſt terra.

Verbo Domini Cœli firmati ſunt: & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Congregans ſicut in utre aquas maris: ponens in theſauris abyſſos.

Timeat Dominum omnis terra:

ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.

Dominus diſſipat conſilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum.

Conſilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis ejus in generatione, & generationem.

Beata gens, cujus eſt Dominus Deus ejus: populus, quem elegit in hæreditatem ſibi.

De Cœlo reſpexit Dominus: vidit omnes filios hominum.

De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram.

Qui finxit ſigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.

Non ſalvatur rex per multam virtutem; & gigas non ſalvabitur in multitudine virtutis ſuæ.

Fallax equus ad ſalutem: in abundantia autem virtutis ſuæ non ſalvabitur.

Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum:& in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus.

Vt eruat à morte animas eorum: & alat eos in fame.

Anima noſtra ſuſtinet Dominum: quoniam adjutor, & protector noſter eſt.

Quia in eo lætabitur cor noſtrum: & in nomine ſancto ejus ſperavimus.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperavimus in te.

Pſal. 66.

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Vt cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: cõfiteãtur tibi populi omnes.

Lætentur, & exultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ. Gloria, &c.

Pſal. 67.

EXurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus: & fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.

Et juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, pſalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum: Dominus nomen illi.

Exultate in conſpectu ejus: turbabuntur à facie ejus, patris orfanorum, & judicis viduarum.

Deus in loco ſancto ſuo: Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine: ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.

Deus cū egredereris in conſpectu populi tui: cum pertranſires in deſerto.

Terra mota eſt, etenim Cœli diſtillaverunt à facie Dei Sinai: à facie Dei Iſrael.

Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ: & infirmata eſt, tu veró perfeciſti eam.

Animalia tua habitabunt in ea; paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum evangelizantibus: virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & ſpeciei domus dividere ſpolia.

Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ: & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.

Dum diſcernit cœleſtis reges ſuper eam, nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: ut quid ſuſpicamini montes coagulatos.

Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus, multiplex millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto.

Aſcendiſti in altum cœpiſti captivitatem: accepiſti dona in hominibus.

Etenim non credentes: inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.

Deus noſter, Deus ſalvos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confriget capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

Dixit Dominus: ex Baſan convertam: convertam in profundum maris.

Vt intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.

Viderunt ingreſſus tuos Deus: ingreſſus Dei mei; Regis mei, qui eſt in Sancto.

Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus: in medio juvenculatum tympaniſtriarū.

In Eccleſiis benedicite Deo Domino: de fontibus Iſrael.

Ibi Beniamin adoleſcentulus: in mentis exceſſu.

Principes Judæ duces eorum: Principes Zabulon, Principes Nephthali.

Manda

Manda Deus virtuti tuæ : confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Ieruſalem: tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum:ut excludant eos, qui probati ſunt argento.

Diſſipa gentes, quæ bella volunt: veniant legati ex Ægypto : Æthiopia perveniet manus ejus Deo.

Regna terræ cantate Deo : pſallite Domino, pſallite Deo, qui aſcendit ſuper Cœlum cœli ad Orientem.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper Iſrael: magnificentia ejus & virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ: Benedictus Deus. Gloria,&c.

Pſal. 81.

DEus ſtetit in ſynagoga Deorum: in medio autem deos dijudicat.

Vſquequo judicatis iniquitatem : & facies peccatorum ſumitis.

Iudicate egeno, & pupillo : humilem, & pauperem juſtificate.

Eripite pauperem : & egenum de manu peccatoris liberate.

Neſcierunt,neque intellexerũnt, in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.

Ego dixi : dii eſtis : & filii excelſi omnes.

Vos autem ſicut homines moriemini:& ſicut unus de principus cadetis.

Surge Deus judica terram:quoniãm tu hæreditabis in omnibus gentibus. Gloria Patri, &c.

Pſal. 83.

QVam dilecta tabernacula tua Domine virtutũ;concupiſcit, & deficit anima in atria Domini.

Cor meum, & caro mea : exultaverunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invenit ſibi domum : & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine : in ſecula ſeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum,in loco quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam : auribus percipe Deus Iacob.

Protector noſter aſpice Deus: & reſpice in faciem Chriſti tui.

Quia melior eſt dies una in

atriis tuis:ſuper millia.

Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus; gratiam, & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui ſperat in te. Gloria.

Pſal. 86.

FUndamenta ejus in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.

Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylonis: ſcientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum: hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo & homo natus eſt in ea: & ipſe fundavit eam Altiſſimus?

Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum: horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium: habitatio eſt in te.

Pſal. 132.

ECce quàm bonum, & quàm jucundum: habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam: barbam Aaron.

Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus: ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: & vitam uſque in ſeculum.

In prima, & tertia Seſſione, vel in unica.

Pſal. 68.

SAlvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ uſq; ad animam meam.

Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia.

Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me.

Laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.

Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei: qui oderunt me gratis.

Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei injuſtè: quæ non rapui, tunc exolvebā.

Deus tu ſcis inſipientiā meam: & delicta mea à te non ſunt abſcondita.

Non erubeſcant in me qui expectant te Domine: Domine virtutum.

Non confundantur ſuper me qui quærunt te: Deus Iſrael.

Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam.

Extraneus factus ſum fratribus meis:

meis: & peregrinus filius matris meæ.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me.

Et operui in jejunio animam meam: & factum eſt in opprobrium mihi.

Et poſui veſtimentum meum cilicium: & factus ſum illis in parabolam.

Adverſum me loquebantur, qui ſedebant in porta: & in me pſallebant, qui bibebant vinum.

Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.

In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me: in veritate ſalutis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab iis, qui oderunt me, & de profundis aquarum.

Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum: neque urgeat ſuper me puteus os ſuum.

Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me.

Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, & libera eam propter inimicos meos eripe me.

Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reverentiam meam.

In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me: improperium expectavit cor meum, & miſeriam.

Et ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inveni.

Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potaverunt me aceto.

Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum; & in retributiones, & in ſcandalum.

Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſemper incurva.

Effunde ſuper eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deſerta: & in tabernaculis eorum non ſit, qui inhabitet.

Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum: & non intrent in juſtitiam tuam.

Deleantur de libro viventium: & cum juſtis non ſcribantur.

Ego ſum pauper & dolens: ſalus tua Deus ſuſcepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo ſuper vitulum novellum: cornua producen-

tem, & ungulas.
Videant pauperes, & lætentur: quærite Deum, & vivet anima veſtra.
Quoniam exaudivit pauperes Dominus; & vinctos ſuos non deſpexit.
Laudent illum cœli, & terra: mare, & omnia reptilia in eis.
Quoniam Deus ſalvam faciet Sion: & ædificabuntur civitates Iuda.
Et inhabitabunt ibi: & hæreditate acquirent eam.
Et ſemen ſervorum ejus poſſidebit eam: & qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea. Gloria, &c.

In ſecunda Seſſione.

Pſal. 78.

Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam.
Poſuerunt morticina ſervorum tuorum, eſcas volatilibus cœli; carnes ſanctorum tuorum, beſtiis terræ.
Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ieruſalem: & non erat, qui ſepeliret.
Facti ſumus opprobrium vicinis noſtri; ſubſannatio, & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt.
Vſquequò Domine iraſceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?
Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt; & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.
Quia comederunt Iacob: & locum ejus deſolaverunt.
Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum: citò anticipient nos miſericordiæ tuæ: quia pauperes facti ſumus nimis.
Adjuva nos Deus ſalutaris noſter: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.
Ne fortè dicant in Gentibus: Vbi eſt Deus eorum? & innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris?
Vltio ſanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt: introëat in conſpectu tuo gemitus compeditorum.
Secundùm magnitudinem brachii tui: poſſide filios mortificatorum.
Et redde vicinis noſtris ſeptuplum, in ſinu eorum: improperium ipſorum, quod exprobraverunt tibi Domine.
Nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ: confitebimur tibi in ſeculum.
In generationem, & generationem, annuntiabimus laudem tuam. Gloria, &c.

PSALMI,

P S A L M I.

Qui in Tranſlatione Reliquiarum SS. cantandi ſunt.

Pſal. 3.

DOmine quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? multi inſurgunt adverſum me.

Multi dicunt animæ meæ: Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormivi,& ſoporatus ſum: & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, ſalvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa, dentes peccatorũ contriviſti.

Domini eſt ſalus: & ſuper populum tuum benedictio tua. Gloria Patri, &c.

Pſal. 4.

CUm invocarem exaudivit me Deus juſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti mihi. Miſerere mei, & exaudi orationem meam.

Filii hominum uſquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Et ſcitote quoniam mirificavit Dominus ſanctum ſuum: Dominus exaudiet me cùm clamavero ad eum.

Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris cõpungimini.

Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino. multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei ſui, multiplicati ſunt.

In pace in idipſum dormiam,& requieſcam.

Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Gloria, &c.

Pſal. 5.

VErba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ,rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo: Domine manè exaudies vocem meam.

Manè aſtabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens ini-

iniquitatem tu es.
Neque habitabit juxtà te malignus; neque permanebũt injuſti ante oculos tuos.
Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.
Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus. Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ.
Introibo in domum tuam: adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.
Domine deduc me in juſtitia tua: propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam.
Quoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt.
Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, judica illos Deus.
Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.
Et lætentur omnes, qui ſperant in te, in æternum exultabunt: & habitabis in eis.
Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices juſto.
Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.
Gloria Patri, &c.

Pſal. 10.

IN Domino confido: quomodo dicitis animę meę: Transmigra in mõtem ſicut paſſer?
Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde.
Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt; juſtus autem quid fecit?
Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes ejus.
Oculi ejus in pauperem reſpiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum.
Dominus interrogat juſtum, & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.
Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.
Quoniam juſtus Dominus, & juſtitias dilexit: equitatem vidit vultus ejus.
Gloria Patri, &c.

Pſal. 14.

DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?
Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam.
Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua.
Nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos.
Ad nihilum deductus eſt in cõſpectu ejus malignus: timentes autem Dominũ glorificat.
Qui jurat proximo ſuo, & non decipit, qui pecuniam ſuam

non

non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.
Qui facit hæc, non movebitur in æternum. Gloria, &c.

Pſal. 15.

CONſerva me Domine, quoniam ſperavi in te.
Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.
Sanctis, qui ſunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.
Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea acceleraverũt.
Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.
Dominus pars hæreditatis meę, & calicis mei: tu es, qui reſtitues hæreditatẽ meam mihi.
Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.
Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei.
Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear.
Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea; inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.
Quoniam non derelinques animam meam in inferno; nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.
Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua uſque in finem.
Gloria Patri, &c.

Pſal. 16.

EXaudi Domine juſtitiam meam; intende deprecationem meam.
Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis.
De vultu tuo judicium meum prodeat; oculi tui videant æquitates.
Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte; igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.
Ut non loquatur os meum opera hominum; propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.
Perfice greſſus meos in ſemitis tuis; ut non moveantur veſtigia mea.
Ego clamavi, quoniam exaudiſti me Deus; inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.
Mirifica miſericordias tuas, qui ſalvos facis ſperantes in te.
A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me, ut pupillam oculi.
Sub umbra alarum tuarum protege me; à facie impiorum, qui me afflixerunt.
Inimici mei animam meam circumdederunt.
Adipem ſuum concluſerunt; os eorum locutũ eſt ſuperbiam.

Pro-

Projicientes me nūnč circumdederunt me; oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.

Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam; & ſicut catulus leonis habitās in abditis.

Exurge Domine, præveni eum, & ſupplanta eum; eripe animam meam ab impio, frameā tuam ab inimicis manus tuæ.

Domine à paucis de terra divide eos in vita eorum; de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.

Saturati ſunt filiis; & dimiſerūt reliquias ſuas parvulis ſuis.

Ego autem in juſtitia apparebo conſpectui tuo; ſatiabor cùm apparuerit gloria tua.

Gloria Patri, &c.

Pſal. 18.

CÆli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.

Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit ſonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum.

In Sole poſuit tabernaculum ſuum; & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio ejus.

Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus; nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.

Lex Domini immaculata convertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.

Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda; præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi; judicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſa.

Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum; & dulciora ſuper mel, & favū.

Etenim ſervus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: & ab alienis parce ſervo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei; & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Domine adjutor meus, & redemptor meus. Gloria, &c.

Pſal. 28.

AFferte Domino filii Dei; afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus; adorate Dominū in atrio ſancto ejus.

Vox Domini ſuper aquas, Deus maje-

majeſtatis intonuit; Dominus ſuper aquas multas.

Vox Domini in virtute ; vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani : & dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flãmam ignis, vox Domini concutientis deſertum ; & commovebit Dominus deſertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condenſa; & in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit; & ſedebit Dominus rex in æternum.

Dominus virtutem populo ſuo dabit ; Dominus benedicet populo ſuo in pace.

Gloria Patri, &c.

Pſal. 29.

EXaltabo te Domine quoniam ſuſcepiſti me; nec delectaſti inimicos meos ſuper me.

Domine Deus meus clamavi ad te, & ſanaſti me.

Domine eduxiſti ab inferno animam meam ; ſalvaſti me deſcendentibus in lacum.

Pſallite Domino ſancti ejus ; & confitemini memoriæ ſanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus; & vita in voluntate ejus.

Ad veſperum demorabitur fletus; & ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in abundantia mea; non movebor in æternũ.

Domine in voluntate tua, præſtitiſti decori meo virtutem.

Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.

Ad te Domine clamabo : & ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?

Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, & miſertus eſt mei ; Dominus factus eſt adjutor meus.

Convertiſti planctum meum in gaudium mihi ; conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.

Vt cantet tibi gloria mea, & non compungat ; Domine Deus meus in æternum confitebor tibi. Gloria, &c.

Pſal. 31.

BEati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates ; & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die.

Quoniam die, ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua ; converſus ſum in ærumna mea,

mea, dum configitur ſpina.
Delictum meum cognitum tibi feci; & injuſtitiam meam non abſcondi.
Dixi: Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei.
Pro hac orabit ad te omnis ſanctus, in tempore opportuno.
Verumtamen in diluvio aquarũ multarum, ad eum non approximabunt.
Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me; exultatio mea erue me à circumdantibus me.
Intellectũ tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris; firmabo ſuper te oculos meos.
Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus.
In camo, & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.
Multa flagella peccatoris, ſperantem autem in Domino, miſericordia circumdabit.
Lætamini in Domino, & exultate juſti, & gloriamini omnes recti corde. Gloria, &c.

Pſal. 32.

EXultate juſti in Domino, &c. *vide ſupra fol. 2.*

Pſal. 33.

BEnedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.
In Domino laudabitur anima mea; audiant manſueti, & lætentur.
Magnificate Dominum mecum; & exaltemus nomen ejus in idipſum.
Exquiſivi Dominum, & exaudivit me; & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.
Accedite ad eum, & illuminamini; & facies veſtræ non confundentur.
Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum; & de omnibus tribulationibus ejus ſalvavit eum.
Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos.
Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus; beatus vir, qui ſperat in eo.
Timete Dominum omnes ſancti ejus; quoniam non eſt inopia timentibus eum.
Divites eguerunt, & eſurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.
Venite Filii, audite me; timorẽ Domini docebo vos.
Quis eſt homo, qui vult vitam; diligit dies videre bonos?
Prohibe linguam tuam à malo; & labia tua ne loquantur dolum.
Diverte à malo, & fac bonum; inquire pacem, & perſequere eam.
Oculi Domini ſuper juſtos: & aures ejus in preces eorum.
Vultus autem Domini ſuper facientes mala; ut perdat de terra

terra memoriam eorum.

Clamaverunt juſti, & Dominus exaudivit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Iuxtà eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſalvabit.

Multæ tribulationes juſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum peſſima: & qui oderunt juſtũ delinquent.

Redimet Dominus animas ſervorum ſuorum: & non delinquent omnes, qui ſperant in eo. Gloria Patri, &c.

Pſal. 44.

ERuctavit cor meum verbum bonum; dico ego opera mea regi.

Lingua mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis.

Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime.

Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna.

Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum regis.

Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi: virga directionis, virga regni tui.

Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: circumdata varietate.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.

Et concupiſcet Rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus; & adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur regi virgines poſt eam; proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia, & exultatione: adducentur in templum regis.

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii: conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Memores erunt nominis tui in omni generatione, & generationem.

Pro-

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſeculum ſeculi. Gloria Patri, &c.

Pſal. 46.

OMnes Gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelſus, terribilis: Rex magnus ſuper omnem terram.

Subjecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris.

Elegit nobis hæreditatem ſuam, ſpeciem Iacob, quam dilexit.

Aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.

Pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite Regi noſtro, pſallite.

Quoniã Rex omnis terræ Deus: pſallite ſapienter.

Regnabit Deus ſuper Gentes: Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terræ, vehementer elevati ſunt.

Gloria Patri, &c.

Pſal. 67.

EXurgat Deus, &c. *vide ſupra fol. 3.*

LAVS DEO.

VA λ
λ528851